



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

17. Clausula sublata &c. quid operetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

deferentium, vel suorum nunciorum, si personarum qualitas non dissuadeat, vel nisi fides de contrario haberetur in promptu: & quoad personam sufficit, quod reperitur in habitu, & tonsura clericali, gloss. in d. clem. fin. in verb. non negotiandi, vers. si autem, & ibi Abb. num. 4. de cens. Si tamen contra clericum de jure erit gabella à publicanis petenda coram iudice ecclesiastico clericus erit conveniendus. Roland. à Val. conf. 71. nu. 25. volu. 4. & post plures alios, quos citat Diaz. in pract. crim. canon. c. 57 in add. vers. erit tamen quibus addo vulg. regulam, quod actor forum rei sequi debet.

16 Milites † ordinis S. Joannis Hierosolymitani eodem privilegio gaudent, quia sunt vere religiosi, cum profiteantur in hæc verba: Ego N. voveo, & promitto Deo omnipotenti, bea. æque Mariæ semper Virgini, Dei genetrici, ac S. Joan. Baptistæ perpetuo, cum Dei auxilio servare veram obedientiam cuicunque superiori, qui à Deo, & religione nostra mihi dabitur, amplius vivere sine proprio, & castitatem servare, ut in Stabil. cap. 1. de recept. frat. quibus tria substantialia vota emittunt, & propterea habent privilegia, quibus expresse cavetur, quod à solutione, & exactione passagij, atteragij, gabellæ, daci, tractæ, collectæ, procurationis, iucundi adventus, iurium etiam synodali, censuum, & decimarum, etiam novalium, etiam hortorum, pratorum, piscationum, molendinorum, & terrarum, quas per se ipsos, vel alios eorum nominibus, etiam colonos arrendatarios, & emphyteutas excolunt, & de quibus fructus percipiunt, & cuiusvis alterius oneris personalis, seu missi sunt exempti, nec etiam ratione persona-

rum vel rerum, animalium, ac bonorum suorum, ad aliquam solutionem pontium, fontium, furnorum, murorum, seu etiam aliarum ecclesiarum, quam dictæ religionis in aliquo teneantur ut in motu proprio Pij III. in Bull. cap. 14. fol. 668. vers. necnon à solutione, qua habet decretum irritans. &c. Et clausulam, sublata, &c. Et quoad ipsos, est sublata difficultas, an teneantur ad solutionem gabellæ impositæ pro refectione murorum, pontium, & fontium, ut in l. ad instructiones C. de sacrosanct. eccles. † quia dicta clausula, sublata, &c. removet facultatem quibuscunque aliter judicandi, vel interpretandi. cap. si e tempore de elect. in 6. Paril. conf. 38. n. 7. conf. 41. n. 22. l. 4. Cassad. super regul. decis. 12. n. 5. cum seq. & Gomet. de anna. poss. q. 4. nu. 5.

18 An autem † clerici seculares, & regulares sint exempti à gabellis solvendis, quæ imponuntur pro refectione pontium, & viarum, videtur quod non, sed, quod ad illorum solutionem, & contributionem teneantur. d. l. ad instructiones. ubi Bald. nu. 1. auth. de Eccles. tit. 5. ad hæc sancimus, column. 6. & Felyn. in d. c. Ecclesia S. Maria. n. 106. vers. tertius, ubi gabella.

19 Nam leges Imperatorum † videntur comprehendere clericos, c. 1. de novi oper. nunc. cap. si. in auditorium. 10. dist. Felyn. in eod. cap. Eccles. S. Maria. num. 37. & Abb. in cap. inter alia. num. 1. de immuni. Eccles. tamen etiam dicta conclusio sit fundata in jure civili, per canones posteriores fuit correctæ, & libertati ecclesiasticæ per leges civiles præjudicari non potest defectu potestatis condentis, cum non constet de dictarum legum civilium approbatione, quæ de jure requiritur in concernentibus odium Ecclesiæ.

† Ex